



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Parochorum, De Plerisque Functionibus, & Obligationibus, ad Parochias, Parochos & Parochianos attinentibus

Engel, Ludwig

Salisburgi

Cap. 2. De Triplici Qualitate Ætatis, Morum & Scientiæ in Parocho
requisita.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40922

CAPUT II.

De triplici Qualitate Ætatis Mo-
rum & Scientiæ in Parocho re-
quisita.

SUMMARIÆ

1. Regimen animarum ars artium.
2. Ætas 25. annorum inchoatorum requiritur in Parocho, & ut intra annum recipiat Sacerdotium.
3. Negligenter omittens suscipere ordines elapso anno est ipso jure privatus Parochia.
4. Fallit in Ecclesiis Collegiatis.
5. Quidquid sit, an de rigore extra casum præsentationis & mandati Apostolici possit parochia conferri Clerico in minoribus, Episcopus poterit dispensativè id facere.
6. Dispensatio concessa in jure impersonaliter intelligitur data Episcopis.
7. Nomine Episcopi veniunt etiam Inferiores Prælati habentes jurisdictionem quasi Episcopalem.
8. Parochus bono exemplo suis debet præluere.
9. Quæ mulieres permittantur cū Clericis habitare.
10. Ob periculum perjurij non sunt cogendi Clerici ut concubinas abjurent.
11. Pæne Concilij habent locum etiam in suspectis sine qualitate concubivatus.
12. Ad eas incurrendas in foro conscientie requiritur sententia declaratoria.

13. A. J. N. A.

QUALIS DEBEAT ESSE PAROCH. 113

13. Actus lapsus carnis qualiter puniendus.

14. Concubinarium non est suspensus, suspensione proprie dicta.

15. An & quando in divinis vitandus.

16. Scientia qua requiratur in Parocho.

Cum sit ars artium regimen animarum, ut dicitur in c. cum sit. de atat. & qualis. utique non debent id suscipere & in Parochos constitui nisi qui fuerint idonei. Dicuntur autem idonei, in quibus tria concurrunt: nimirum, *etatis maturitas, morum gravitas, & debita scientia.* c. cum in cunctis. 7. §. inferiora. de elect. c. licet Canon. 14. eod. in 6.

Quod attinet ad *etatem* in Parocho requisitam, ea est 25. annorum inchoatorum, d. §. inf. & c. licet. Canon. Neque tamen parochus statim eo tempore, quo sibi parochia confertur, Sacerdos esse tenetur, dummodo sit Clericus in minoribus constitutus, & intra annum numerandum à die adeptæ pacificæ possessionis suæ parochiæ in Sacerdotem promoveatur. c. 2. de instit. in 6. c. si pro Clericis 8. de prab. in 6.

Si verò talis parochus intra annum ad sacerdotium promotus non fuerit, tunc elapso anno (non prius, quamvis tantum jam temporis spatium effluxerit, ut promotio amplius impossibilis sit. c. commissa. 35. de elect. in 6) ipso jure Parochiâ privatus erit, nisi justo aliquo impedimento ab Ordinibus retardatus fuisset. d. cap. licet Canon. & c. commissa. † In Ecclesijs tamen collegiatis, etiam si aliæ Parochiales extiterint,

MAN. PAROCH.

H

&

& ijs, qui ad earum regimen assumuntur, non habere locum hanc constitutionem, ut quis elapso anno *ipso jure* sit privatus, sed requiri, ut juxta antiquiores Canones, monitio Episcopi præcedat, & si monitus aliquis non ordinatus fuerit, tum demùm per sententiam privari possit, declaratum est *in c. statutum. de elect. in 6.*

Non ignoro, quòd aliqui cum Gloss. *in d. 6. 2. de Instit. in 6. & d. c. si pro Clericis.* doceant, tantùm duos casus esse exceptos, in quibus non requiratur, ut promovendus ad Parochiam sit in Sacris constitutus, videlicet I. Si præsentetur à Patrono *ut in d. c. 2.* II. Si ad mandatum Papæ alicui de parochiali Ecclesia provideatur *ut in d. c. si pro Clericis.* Si verò de libera collatione agatur, tunc non esse admittendum, qui saltem Subdiaconus non sit *jux. tex. in cap. prætereà. 5. de etat. & qual.*

§ Sed hanc doctrinam non recipiunt Archidiacon. Joan. And. & alij de quibus attestatur Gl. *in d. c. si pro Clericis,* censentes *d. c. prætereà.* per posteriores Canones in sexto decretalium existentes indifferenter correctum esse. Quidquid sit de hac doctrina theoreticè in utramque partem disputabili, in praxi res non habet magnam difficultatem, cum Episcopus possit etiam ex autoritate illius cap. *prætereà.* dispensare cum aliquo ad parochialem Ecclesiam, si adhuc in sacris non sit. Dico Episcopum dispensare posse. Nam licèt *in d. c. prætereà.* Episcopo hæc dispensatio expressè non concedatur, hoc ipso tamen,

tamen, quòd Pontifex dicat *dispensativè* posse ad-
 mitti ad Parochias constitutos in minoribus,
 eam dispensationem concessisse Episcopo intel-
 ligitur; Atque idem generaliter tenendum esse,
 quoties in aliquo Canone dispensatio permitti-
 tur, quamvis Episcopi mentio non fiat, tradit
 Pan. *in cap. fin. de post. Prælat. n. 10.* Felin. *in c.*
nuper. de sent. excom. Barb. de offic. Episc. p. 24
alleg. 34. n. 22. Ratio est, quòd potestas data di-
 spensandi in aliquo Canone, non possit rationa-
 biliter intelligi data S. Pontifici, utpote qui aliàs
 eam potestatem habet. *c. proposuit. §. licet. de con-*
cess. præb. (nisi ex sermone connexo vel stylo
 & consuetudine aliud appareat. ut in Trid. *sess.*
24. de ref. Mat. c. 5. Sanch. *de mat. l. 8. diff.*
6. n. 19.) Consequenter ut leges accipiantur
 de casibus dubitatis. *jux. l. 1. §. 2. ff. ad muni-*
cip. & verba Papæ aliquid operentur. *c. si Papa.*
10. de privileg. in 6. debeat intelligi illa potestas
 data Episcopis, quibus aliàs non competeret.

Sed quid, si Abbas vel alius Prælatu inferior
 Episcopo, habeat jus conferendi parochiam,
 an & is eandem Clerico in minoribus tantum
 ordinibus constituto conferre poterit? † R. Af- 7
 firmativè, quia rex, dum *in d. c. præterea*, dispen-
 sationem ordinarijs Collatoribus permittit, non
 distinguit inter Collatores, Episcopos & inferio-
 res, nec nos distinguere debemus. *arg. l. de præ-*
tio de publiciana. Accedit, quòd inferiores Præ-
 lati circa hujusmodi parochias, quas conferre
 possunt, Jurisdictionem quasi Episcopalem ha-
 bere

bere censeantur. *jux. Gl. not. in Clem. 1. in v. proprij. de reb. Eccles. non alien.*

8 *Circa morum gravitatem verissimè monet Concil. Trid. sess. 22. de ref. c. 1. Nihil esse, quod alios magis ad pietatem & DEI cultum assidue instruat, quàm eorum vita & exemplum, qui se divino ministerio dedicârunt. &c. Et Gregorius lib. 34. mor. c. 30. Non debet, inquit, hominum ducatum suscipere, qui nescit homines bene vivendo præire, ne qui ad hoc eligitur, ut aliorum culpas corrigat, quod refecare debuit, ipse committat. Quapropter omnia illa, quæ generaliter de vita & honestate Clericorum, videl. de luxu vestium & capillorum, crapulâ & comotationibus in tabernis publicis, lusu immoderato, ac negotijs sæcularibus evitandis in SS. Canonibus statuta sunt, tantò magis Parochi observare debebunt, quantò ipsis cum cura animarum arctius incumbit, ut alijs bono exemplo præluceant.*

Specialiter verò ut incontinentiæ vitium declinetur, sub gravibus pœnis jubet Concil. Trid. s. 25. de ref. c. 14. *Quàm turpe, inquit Concil. ac Clericorum nomine qui se divino cultui addixerunt sit indignum, in impudicitie sordibus immundòque concubinato versari, satis res ipsa communi omnium fidelium offensione testatur. ut igitur ad eam quam decet, continentiam ac vitæ integritatem ministri Ecclesiæ revocentur, populisq; hinc eos magis discat revereri, quò illos vitâ honestiores cognoverit, prohibet S. Synodus quibuscunque Clericis, ne concubinas aut alias mulieres de quibus possit haberi str-*

fficio

fficio in domo vel extra detinere, aut cum ijs nullam consuetudinem habere audeant, alioquin pœnis à SS. Canonibus vel Ecclesiarum statutis impositis puniantur.

Fœminæ quidem ob ætatem vel primi aut se- 9
cundi gradus consanguinitatem tolerantur. *c. eum omnibus. d. 81. & c. pen. de cohab. Cler. & mul.* Si tamen etiam istæ vel propter se vel pedifsequas earum suspectæ forent, protinùs removendæ essent, quia etiam in his scelus contigisse compertum est. *c. 1. de cohab. Cler. c. legitur. d. 18.* Addit quoque ipsum Concilium pœnas & certum modum procedendi contra hujusmodi Concubinarios, ac inter alia statuit, ut si à Superioribus moniti à fœminis suspectis se non abstinuerint, tertiâ parte fructuum beneficiorum suorum quorumcunque sint *ipso facto* privati: sin autem in delicto eodem perseverantes secundæ monitioni adhuc non paruerint, fructus omnes ac proventus suorum beneficiorum *eo ipso* amittant &c. † Non verò cogendi sunt Clerici, 10
ut consortium fœminarum abjurent, ne instigante diabolo in idem peccatum redeuntés perjuri reatum incurrant. *c. 3. d. 1. de cohab. &c.*

Cæterùm licet aliqui apud Barb. *in Collect. II ad d. c. 14. Trid. n. 16.* teneant has pœnas Conciliares tantùm habere locũ in suspectis de concubinato scilicet cùm fœmina domi retenta, nihilominùs ex textu Concilij magis apparet, quòd etiam de alijs delictis carnis sine qualitate concubinatus (ut si extra domum frequententur

suspecta consortia) procedant. *Navar. Consil. 1. d. l. de cohab. Sc.*

12 Sed hîc quæri posset, an hæ pœnæ Concilij quæ ipso facto incurruntur statim in conscientia locum habeant, ita ut Parochus fructus ita amissos sine alia condemnatione ulterò restituere teneatur? R. Benigniore esse sententiam, quòd pœnæ quæ etiam ipso jure irrogantur non aliter obligent in conscientia, quàm si *sententia declaratoria* sequatur, per quam Judex declarat tales pœnas solvendas esse, *per ea quæ docet Covar. de matrim. p. 2. c. 6. §. 8. n. 13. arg. c. cum secundum. 19. de heret. in 6.* ubi videtur supponi regulariter ad pœnas ipso jure irrogatas debere accedere sententiam declaratoriam, nisi specialiter ob gravitatem criminis aliud statuatur. Maxime verò in nostro proposito hanc *sententiam declaratoriam* requiri non obscure ex ipso Concilio Trid. *d. s. 25. c. 14.* colligitur: dum ibi fructus à Clerico concubinario ipso jure amissi non per ipsum Clericum, sed *arbitrio Episcopi fabricæ Ecclesiæ* aut alteri pio loco jubentur applicari.

13 Dices, si pœnæ Concilij tantum post præmissam monitionem locum habent, ergò ante monitionem Clericus impunè peccabit? R. Quòd pœnæ Concilij eum potissimum calum respiciant, si Clerici de incontinentia suspecti nolint consortium fæminarum devitare. Si verò Clericus de actuali lapsu carnis sive ante sive post monitionem convictus fuerit, variæ contra ipsum pœnæ in jure dictantur, scilicet suspensio-

tionis

tionis ab officio & beneficio, incarcerationis, nonnunquam etiã depositionis. *cap. Maximianus & ibi Gl. d. 81.* quales pœnæ arbitrio iudicis Ecclesiastici pro circumstantia facti temperari vel aggravari possunt. *Par. in cap. at si Clerici. de iudic. n. 35. Farin. de delict. carn. q. 137. n. 17.* illum verò abusum reprehendit *Garc. de benef. p. 11. cap. 10. n. 188.* quòd quidam Iudices Ecclesiastici ex delictis quodammodò quæstum faciunt, & multas pecuniarias sibi applicant, quam pœnam divites parum pertimescunt. *c. 3. de pœnis.* regulariter etiam multæ pecuniariæ pijs causis applicandæ sunt, ne videatur punitio ex radice avaritiæ procedere. *Trid. c. 3. vers. in causis. s. 25. de ref.*

Alia est disputatio utrum sacerdos concubiniarius incurrat ipso jure suspensionem propriè dictam *jux. c. prater. dist. 32.* ita ut si celebret ante absolutionem fiat irregularis, cum quo tantùm per S. Pontificem dispensari possit. *c. 1. de sent. & re iud. in 6.?* De concubinario occulto satis conveniunt DD. quòd non sit suspensus propriè, sed tantùm eo modo suspensus, quo quilibet in peccato mortali existens usque dum pœniteat. *c. fin. de cohob. Cler. & mul.* At verò de concubinario notorio (qui scil. talis est per confessionem factam in iudicio, sententiam, aut evidentiam rei, quæ nullâ potest tergiversatione celari *d. c. fin.*) magna est dissensio apud *Garc. de benef. p. 7. c. 14. n. 11. & seqq.* Sanè consuetudine, quæ est optima legum interpret,



L. si de interpretation. ff. de ll. videtur recepta sententia Covar. in relect. Clem. si furiosus. p. 1. §. 1. n. 5. Innoc. Spec. & aliorum, quòd Canones qui de suspensione concubinarij notorij loquuntur, sint intelligendi de suspensione impropria seu de simplici prohibitione celebrandi divina, non autem de ea, quæ sit censura, & cujus transgressio irregularitatem inducat. quia nec antiqui Canones, nec Concilium Trid. unquam de tali irregularitate mentionem faciunt, quamvis dum talibus Clericis celebrationem interdiciunt, supponant eos sæpiùs celebrare. multò minùs in praxi videmus, quòd Clerici concubinarij post pœnitentiam dispensationem super irregularitate à S. Pontifice petant. imò in c. si qui sunt. dist. 81. & c. fin. de cohab. Cler. & mul. factis insinuat, quòd post pœnitentiam & concubinæ expulsionem hoc ipso alicui jus celebrandi restituatur, neque ibi dispensatio super irregularitate requiritur. Porrò non est insolitum in nostro jure, ut suspensio non semper sit censura, sed aliquando tantùm de simplici prohibitione celebrandi accipiatur: ita enim in c. dilecta. major. & obed. dicitur, quòd Abbattissa possit tuos Clericos ab officio beneficioque suspendere, quod profectò de censura intelligi non potest, cum ea pertineat ad claves Ecclesiæ, quæ fœminis traditæ non sunt, sicut nec B. Virgini, licèt esset dignior omnibus Apostolis. c. nova. de pœnit. & remiss. Gl. in d. c. dilecta.

15 Præterea statuitur in SS. Canonibus, quòd Cleric

Clericus notoriè concubiniarius in divinis officijs evitandus sit, neque licitè ab eo sacra audiantur. *c. nullus. & seq. d. 32.* non quidem, quòd ab eo Sacramenta non rectè conficiantur, cum quantumcunq; pollutus divina polluere non possit, quæ purgatoria cunctarum contagionum existunt. *cap. vestra. 7. de cohab. Cler. & nul.* sed ut per populi contemptum ad pœnitentiam trahatur, & alijs peccandi licentia auferatur. Attamen etiam hic cum pluribus censet Barb. *Jur. Eccles. Un. lib. 1. c. 40. n. 44.* Extray. Martin. V. *ad evitanda.* prodesse fidelibus, ut non teneantur evitare concubinariium notorium ante denuntiationem vel actuale suspensionem Episcopi.

Quoad scientiam in Parocho requisitam, 16 optandum quidem foret, ut non nisi optimè instructi in Theologia & SS. Canonibus assumerentur: quia verò id in tenuioribus præsertim parochijs haud faciliè haberi potest; Ideò saltem in Parocho desideratur, ut sciat ea, quæ plebi sunt ad salutem necessaria, nempe ut sciat articulos Fidei, & Decalogum, & sufficienter sciat ea, quæ pertinent ad Sacramentorum administrationem. *Sotus in 4. dist. 25. art. 4. Can. 3.*

CAPUT III.

An Regulares sint capaces Beneficiorum Curatorum etià sæcularium.

SUMMARIÆ.

1. Beneficia regularia regularibus, sæcularia sæcularibus conferenda procedit in simplicibus.

H 5

2. Regre-